



# I. HIEROGRAPHIA REGVM BVRGVNDIAE ET ALIORVM SIMPLEX.

60



Omniorum Macrobius quinq; genera distribuit: & me rep-  
tendi, te lector, hic legendi onere levat. Non semper nos lu-  
di in somniis certum est. Ego in Suecia cum essem in custodia,  
& nulla humanitus fulgeret liberationis spes; somniavi cum  
inem tum ordinem. Nechic dicerem, de Regis somnio di-  
cturus. Sed cogit non invitum, Rex Regum Deus, qui me  
solus restituit in libertatem. Caterum Rex Burgundia: Contramus, de ve-  
natione fessus, & praeventus tempore, in saltu alicubi cubans, cum armige-  
ro, dictu mirabile, somniat se subire specum: & istic gazam ingentem, ma-  
gni precii invenire. Hac videns, aestuare, movere, voluere sese, ut animi af-  
fectum, corporis motus sequitur. Armiger aut nondum consopitus, aut mo-  
tu heri experrectus, egrediens ex ore herili, minutum quadrupes videt, ha-  
sitare autem, & vadum quærere, ubi ad rivulum pluvia aqua fluentem ve-  
nit. Miraculo rei is attonitus (Luna pernox erat) & misertus animantis, gla-  
dio districto rivulum sternit: quem transiens animans aut anima domini,  
in spileum proximum, hiabat foramen exiguum, ingreditur: nec multo post  
regressum per os herile in herum sese recipit. Quo viso consternatus excla-  
mat armiger & Regem excitat. Rex ad se rediens somnium, armiger visum  
commemorat. Divinum, ut erat, id ostentum ratus Rex operas tempesti-  
ve cogit: & perfosso colle, subiectaq; specu thesaurum invenit, quem non  
in regia delicias, sed Dei honorem vertit. Aedes sacras à fundamentis eri-  
git: aut vetustate collapsas restituit. Fabulosum sit, quod vera narrat Histo-  
ria. Pium est, sic uti à Deo datis facultatibus, A quo enim accepimus, grãti  
animi est, bona ei referre accepta.

## II. Hierographia simplex.

Sicambros Bassanus Imperio tenuit, & jure gubernavit. Nam & in fili-  
um capitali supplicio animadvertit, superante, amorem patris, reverentia  
juris. Cum prodiret in publicum, apparitor enses strictum flagro involutū  
antè ferebat, terrori fontibus; in fontibus solatio. Hac res vel à Rege in ta-  
bularum relata: vel admiratione iustitiæ, Regis memoriæ, à posteris consecrata.  
Nam Symbolum ex Æneide Virgillii fumum nemo ignorat: Discite iustiti-  
am moniti, & non temnere Divos.

## III. Hierographia simplex.

Draco Mystica disciplina Sabaëorum, Jovem repræsentat: quod hac  
specie,

specie, stuprum obtulerit Proserpinæ: Romanorum verò non occulta sapientia, poscit vigiles & semper in aetu milites, quod ea natura sit. Hinc ab illis ut Deus colebatur: ab his inter signa militaria, quæ sanctius colebant quàm Deos. Hic igitur manibus orbem, sive manus unguibus, tenaciores enim sunt, tenens, admonet pari virtute custodiendum esse Imperium, qua comparatum. Nec immeritò, Nam nisi multis excidit: hisdem artibus servatur, quibus paritur regnum. Quid sententiam fundo? Ipse Rex, cum Poeta loquitur: Non minor est virtus, quàm quærere, parta tueri. Cui si quidquam credimus; fortunæ est quærere; artis servare.

IV. Hierographia simplex.

Leonem, de Tribu Juda, Christum à Mystis appellari & scimus, & diximus. Hic Leo, non alius crucem tenet. Quid igitur non, ut Leo injurias vindicat? Quod à patientia dictus sit Leo. Et profectò, Philosophorum, non Christianòrum modò sententia majoris animi est, ferre quàm inferre injurias. Lege Platonem, imò hinc Regem; quid enim intra cancellos me non contineo? Veritas persuadet, Nam ubi veritas fidem facit; vis, quæ plerunq; injusta est, hic non est necessaria.

SOLI DEO LIBERATORI  
MEO GLORIA.

